



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCIV. De Vastatione territorii Pograude.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Sequenti die scilicet VIII. Idus Aprilis Fr. Henricus de Plecke
Magnus Commendator & CL. fratres cum multo populo ad-
venerunt & invenerunt Regem & suum exercitum undique
indaginibus vallatum, & in primo congressu Lethovvini LX.
viros Christianos interfecerunt; sed dum viderent fratres cum
suo Vexillo & multitudinem copiosam armatorum sequentem,
irruit super eos pavor & adeo emarcuit cor eorum, quod non
habebant ultra virtutem resistendi; undè quasi in ictu oculi re-
jectis armis omnes terga verterunt. Extunc fratres cum suis in-
sequentes, percusserunt eos plagā magnā, sic quod Rex cum
paucis vix evasit, alii gladio trucidati sunt, quidam submersi, cæ-
teri insolitudine consumpti inedia vel dolore se suspendentes.
Mulieres etiam Christianæ, quæ captæ ibi fuerant, dum vidis-
sent sibi de cœlo victoriam venisse, immemores fragilitatis se-
xus sui irruentes repente in Lethovvinos, qui eas custodiebant
modo, quo poterant, occiderunt. In memoriam hujus glorio-
sæ victoriae & ad laudem & gloriam Jesu Christi fratres clau-
strum sancti monialium in Civitate Thorun fundantes donis
magnificis dotaverunt.

ANIMADVERSIONES.

(a) Woyplocz legit Strykovsky. Woplauf / Jeroschimus.

(b) Alii habent. 80.

CAP. CCCIV.

*De**Vastatione territorii Pograude.*

Hoc anno in æstate Gevehardus de Mansfelt Commendator
de Brandenburg & (a) multi fratres cum mille & quingen-
tis viris equitaverunt ad territorium Pograude, & licet scirent
Lethovvinos præmunitos & paratos in armis ad defensionem,
cum commiserunt se DEO, qui non deserit sperantes in se, &

A a a z

au-

audacter intrantes dictum territorium, interfecerunt multos homines & ceperunt, incendio & rapina multipliciter devastantes. Et dum exirent terram, videntes infideles paratos ad bellum, omnes captivos homines & quicquid de spolio vitam habuit extraxerunt. Mansto autem (b) Masio & Sudargus & alii Nobiles, videntes eorum consumptuosam audaciam, admirati sunt ultra modum, & dum vellet eos in bello aggredi Mansto predictus vir sapiens & experientia doctus dissuasit, afferens sine dubio fratres insidias posuisse, & sic à persecutione fratrum cesserunt. Postea Lethovvini quæsiverunt, quis fuerit Capitanus dicti exercitus quibus responsum fuit, quod Commendator de Brandenburg homo juvenis & virilis: At ille: Dicatis ergo ei quod nunquam veniet ad ætatem debitam, si sic presumtuosè nobis præsentibus cum tam paucis pugnatoribus nostras terras voluerit deprædare.

ANIMADVERSIONES.

(a) XL. Brüder/ habet Chron. Germ. antiqu. informa 4. Sed Jeroschinus itidem ut Dusburgius nullum habet determinatum numerum.

(b) Massio legit Striakovs: Jeroschinus Mafye.

CAP. CCCV.

De
Quaddam traditione.

HOc tempore quidam Lethovvinus, qui Camerarius fuerat Regis Lethovvinorum captus detinebatur in Castro Balga, qui sub poena capitis sui se obligavit, se Castrum Gartham tradere in manus fratrum, si à vinculis solveretur. Cui fratres credentes statuto modo & tempore, quo hæc fieri possent, ipsum abire libere promiserunt. Sed dum veniret ad Regem de his omnibus præmunitum cum Fr. Henricus de Pletzke Commen-